



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Megapolitana. Doberani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



MEGAPOLI TANA.

DOBERANI.

EPITAPHIUM PRIBISLAI, PRIMI FUNDATO-
ris hujus monasterii: qui fuit filius Nicoloti, Vagriorum,
Circipanorum, Polaborum, Obetritarum, Kiffinorum,
Vandalorumq; Regis Illustrissimi.

PRibislaus filius regis Nicoloti, primus fundator hu-
jus monasterii, inclytus ac religiosissimus, cujus re-
liquiæ sunt hîc conditæ.

IN MEMORIAM SEMPITERNAM IN-
clyto Heroi, doctissimo, optimoq; Principi & D. Dn. Ma-
gno, Duci Megapolensi, Henrici filio, & Suerinensi Epi-
scopo, qui anno Domini M. D. L. Calend. Febr.
Butzovii pié obdormivit.

EPITAPHIUM.

*Doctrina proavis, nulli virtute secundus,
Et Megales poleos Dux tumulo hoc tegitur.
Nomine Magnus erat, re major at ille futurus,
Improba mors saltem si voluisset, erat.
Acer in asserto constans & pectore verbo,
Et vera viguit religionis apex.
Et pudor, & probitas, & dulcis gratia morum,
Certatim donis hunc poliere suis.
Eloquio Nestor, felicis acumine mentis,
Dulichio valuit non minus ille sene.
Imperii proceres facunda munere lingua,
Aures & mulsit Carole Dive tuas.*

Judicium

*Judicium pietas, & rebus in omnibus ardens
Virtus, & patria constituebat amor.*

*Illius ex alto Cimbrorum sanguine conjunx
Edita, Friderici filia regis erat.*

*Que Magnum, veluti generosum Porcia Brutum
Humectans lacrumis Elisabetha suis,
Condidit huc vita functum, cineriq; quot annis,
Ut bene sit, votis officiosa rogat.*

*Illius occasu quantum Meglaburgica damni
Stirps tulit, extincti candida fama docet.*

*Extremum moriens solum te, Christe, vocabat,
Cujus in optato jam cubat ille sinu.*

Elisabetha, inclyti Danorum Regis Friderici, piæ memoriæ, filia, conjugii suo dilectissimo, optimeq; merito, in spem futuræ resurrectionis, plena lacrumarum, posuit.

DEO OPT. MAX.

Illustribus Principibus Megapolitanis, quotquot hoc Templo in majorum monumentis cõditi sunt, Illustriss. Princeps Ulricus, Dei gratia, Dux Megapol. & conjunx Elisabetha, ex regia Danorum stirpe nata, Ducissa Megapolitana, Majorum suorum cum honore & pietate colendorum, memoriæ causa posuerunt, Anno instauratæ salutis
MDCXXIII.

Salvete ô anima, regum generosa propago,

Quos tulit illustris terra Oberrita Duces.

Namq; alii ob patriam, Mavortia castra sequuti,

Majorum similes, sustinuêre mori.

Victores alios decus immortale tulisse,

Testantur forti fixa trophæa manu.

Sunt quos grata Deo pietas, & pectore puro

Proveniens stimulat religionis amor.

Justitiam coluêre alii, tranquillaq; pacis

Tempora, legitimi juraq; sancta fori.

Multi suaviloquas, studio flagrante, Camœnæ,

Doctosq; in patria constituêre viros.

Hinc gladios alii stringunt, dirosq; latrones
 Interimunt, & quos publica damna iuvant,
 Quo pax alma data est, quo sunt commercia tuta,
 Securum letus carpe, viator, iter.
 Hinc Solymas alii visunt, terramq; beatam,
 Et loca prodigiis, Christe, notata tuis.
 Vos patria heroas, post fata suprema, sepulcris,
 Et titulis claros hac loca sacra tenent.
 Hic tu Pribislaë, jaces temploq; quiescis,
 Condendi cujus maximus auctor eras.
 Aspice quos natos tibi postera secla tulerunt,
 Gens viden' ut circum te numerosa cubet!
 Multa hic connubio felix matrona sepulta est,
 Quarum posteritas prole beata fuit.
 Henricus jacet hic, factis qui forte Leonis
 Inter vicinos nomen & omen habet.
 Hic Alberte cubas, Sueonum qui regia quondam
 Rexisti longo tempore sceptram manu.
 Quid Magnum memorem? cujus post fata nepotes
 Æternum meritis hoc retulere decus.
 Hic patris Alberti, postquam fatalia solvit,
 Majorum in tumulis ossa sepulta jacent.
 Filius Henrici hic Magnus, quo doctior alter
 Nec major sancta Dux pietate fuit.
 Felices anima, vos nulla pericula vita
 Attingunt, nec mors ulla timenda manet.
 Vos pridem proprio mundatas sanguine Christus
 Fontis ad ætherii concomitatur aquas.
 Ulricus princeps, vestro de stemmate natus,
 Jam columen patriæ, & fida columna sua,
 Æmula virtutum, regalis stirpis, Elisa,
 Ulrici conjunx, nomina clara gerens,
 Majorum tumulis posuerunt, ritè precantes,
 Fac, Pater, in nato molliter ossa cubent.

Nicolao Marschalco, Thurio, & litterarum & linguarum omnium viro doctissimo, Jurisq; prudentia insigniter claro, tanquam bene merito, Henricus Megalopyrgenium Dux, gratissimus Princeps, monument. posuit.

*Hoc Nicolai habitant Marschalci funera saxo,
Henricus Princeps hac monumenta dedit.*

*Henricus Princeps, quo non modò sanctior alter,
Et Megalopyrgos Vandalicosq; regit.*

*Omnia consiliis, cum multa pace, gubernans
Doctòrum ut semper, sic, Nicolæ, tuis.*

*Hinc meritò funus tanto sepelivit honore,
Virtuti graius inclytæ & officii.*

Moritur Rostochii xii. Julii,

M. D. XXV.



SUERINI IN TEM-
PLO.

DEO OPT. MAX.

Optimo Principi Henrico Magni filio, Duci Megapol. veræ religionis, sanctæ Justitiæ, & diuturnæ pacis custodi Joann. Albertus, Dux Megapol. patruo suo chariss. ac bene merito, memoriæ posuit.

V. A. LXXIII. D. 5.

Obiit Suer. viii. Id. Febr.

Anno M. D. LII.

*Henrico prognatus avo Magnoq; parente,
Hic situs Henricus condita membra tegit.*

*Qui bonitate sua, & meritis linguaq; senili
Nestor erat patria duxq; paterq; sua.*

*Nestore quin melior pietate, & pacis amore,
Nunc ergo aterna gaudia pacis habet.*

Bb

D E O O P T . M A X .

Opt. & Magnifico Principi Alberto, filio Magni, Duci
Megap. animi magnitudine, virtutis, ornandæq; patriæ
studio præstanti, Joan. Albert. Dux Megap. parenti
opt. & chariff. memoriæ posuit.

V. A. L X. D. 5.

Obiit Suer. V I I. Id. Januar.

Anno XLVII.

*Henrico generatus avo Magnaq; parente
Hoc Dux Albertus conditur in tumultu
Magnificus, magniq; animi, patriamq; iuvando,
Ornandoq; simul, justitiaq; potens.
Quin etiam multa natorum prole beatus,
Quos colit eximios Herula terra Duces.
Fortunate senex, tua molliter ossa quiescant,
Vita etiam natis sit diuturna tuis.*

D. O. M.

Illust. Principi Magno, Henrici F. Duci Megap. Episco-
po Suerinensi, pietate, doctrina, & humanitate præstanti,
fratri patrueli suo chariff. Joan. Albertus Dux
Megap. memoriæ posuit.

V. A. X L I. D. 5.

Obiit Butzovii I I I. Cal. Februar.

Anno I.

*Filius Henrici, princeps re & nomine Magnus,
Flos patriæ ante patris funera mœsta cadit.
Par fatum Antilocho nactus, sed clarior illo,
Et melior studii sedulitate sui.
Scilicet ingenio cunctos superavit & arte,
Quos habet eximios Teutonis ora Duces.
Illius ad tumulos Pitho, Aomidesq;, Themisq;,
Tam celebrem lugent non superesse ducem.*

Fortiss. & rei militaris tractatione celeberr. Princ. Ge-
orgio

orgio Duc. Megapol. qui pro patr. pugnans, eidem suum
 sang. ad Francfurt. impertivit, fratri chariss. Joan. Al-
 bertus Dux Megap. ejusdem belli socius
 memoriae posuit.

V. A. XXIII. D. 5.

Obiit xx. Jul.

Anno M. D. LII.

*Hic Magno prognatus avo, Albertoq; parente
 Dux jacet, Herculeo robore, corde, manu.
 Princeps à primo pugnare Georgius avo
 Suetus, & hostiles vi superare minas.
 Mars dolet, effundit lachrymarum flumina Mœnus,
 Optantes tantum non cecidissè Ducem.*

MEMORIÆ JOAN. ALBERTI DUCIS
 Megapol. Principis litterati, & litterato-
 rum fautoris.

*Inclita Johannes-Albertus gloria seclī
 Conditur hic, præstans dux, patriaq; pater.
 Non fuit hoc melior princeps nec doctior avo:
 Nec patriis terris qui bona plura dedit.
 Illustrem verbi lucem, qua sidera adimus,
 Primus hic in tota gente vigere jubet.
 Idola evertit Latii pius impia Papa,
 Complexus certo dogmata recta libro.
 Fortia & arma capit sociis cum Saxone, & Hesso,
 Per qua libertas, paxq; salusq; redit.
 Christo cum Musis hic primus in urbe Rosarum
 Instaurat, patriæ cor, oculumq; scholam.
 His etiam è terris fugiens Astra retenta,
 Anno dat quovis publica jura quater.
 Ritè suas dirimi causas Ecclesia gaudet,
 Inspiciuntq; sacros pectora fida greges.
 Clemens, munificus, verax, bonus, integer, æquus,
 Sobrius, ac verè relligiosus erat.
 Regibus & summis tota meritisq; fideq;
 Carus in Europa, principibusq; viris.*

Bb ij

*Ante Dei faciem nunc fulget sideris instar,
Sicut in his terris fulsit imago Dei.
Grata cui tribuet meritas Ecclesia laudes,
Verus & illustri luce vigebit honos.*

Opt. Princ. D. Joanni Alberto, Alberti filio,
Duci Megapol. veræ relig. & doctæ Hu-
manit. studiosiss. Joannes Dux Mega-
pol. filius parenti chariss. cum lacru-
mis memoriæ posuit.

JOHANNIS ALBERTI D. M. IN PUERITIA
apud Boruff. extincti cenotaphium.

*Hic situs Albertus, quo se jactabat alumno
Herula gens, hic ille patri matriq; voluptas,
Spes patria, magni proles generosa parentis,
Felicis nimirum, propria hac si dona fuissent,
Qua tantum Deus ostendit, mox abstulit orbi.
O celebrande puer, cali pars nobilis, alter
Tu Marcellus eras: tumulo date lilia plenis
Pierides calathis, vestri in monumenta doloris.*

D. O. M. S.

Anna-Sophia, Marchionis Alberti, primi Ducis Boruffiæ, ex Dorothea Danica, filia: Friderici I. Regis Daniæ & Norvegiæ neptis: Casimiri Regis Poloniæ proneptis: Illustriiss. Johannis-Alberti Ducis Megapol. uxor: Alberti, ante parentes in Borussia, apud avum defuncti, nec non Johannis & Sigismund. Augusti Ducum Megapol. mater: Adolphi-Friderici, & Johan. Alberti, Johannis F. F. Ducum Megapol. avia. Quæ cum anno MD C LV. Februarii xxv. Johan. Alberto Duci Megapol. nupsisset, eoque anno MD C LXXV. Februar. XII. extincto, annos xv. vidua fuisset; tandem ipsa quoq; anno MD C CI. Februarii vi. maritum secuta est, ejusque exuvia à filiis mœstiss. ad patris desideratiss. latus, in spem gloriosiss. resurrectionis depositæ sunt. Anno MD C CI. Martii xvii.

Sic orimur, morimur, morsq; ipsa ab origine pendet.

Ejus

SUERINENSIA.

389

EJUSDEM EPITAPHIUM.

*Expers invidia, fastus, timidiq; pavoris,
Casta pudicitia & religionis amans,
Annorum satura & vita, nec egena bonorum
Regibus exortam qua decuere nurum,
Filia, sponsa, uxor, genitrix, avia & soror illa
Magnorum generis nobilitate ducum,
Hic Sophia- Anna cubat, proles qua mascula matre
Atq; avia, haud deerit gens Obotrita tibi.
Si Deus haud renuat, quo ceu nil triste benigno,
Sic nihil irato stare vel esse potest.*

D. O. M. S.

Illustriss. Princeps Joannes, Joannis-Alberti Ducis Me-
gap. filius & successor, á puero litteris excultus, pacis &
justitiæ amator & defensor, blasphemiae, scelerum & libi-
dinum osor, erga subditos benevolus & mitis, Ecclesiarũ
& Scholarum nutritius, in omni boni Principis officio la-
boriosus, cum Stargardiæ immatura, sed pia tamen mor-
te é vivis excessisset; mortalitatis suæ reliquias non pro-
cul á paternis maternisq; hic deposuit, anima in paradi-
sum recepta, conjuge interim Illustriss. Sophia Cimbrica,
& liberis trib. superstitib. lamentantib. lugente, & non
immeritò, tota provincia.

Natus est anno Christi cIo Io LIIX.
die VII. Martii. Decessit xxII. Mar-
tii antiqui. An. cIo Io XCII.

HELENÆ PALATINÆ.

*Alta Palatinis Helenam me Norica castris
Duci Obetriceo sors voluere toro.
Quod potui feci: vetuerunt plurima Parca:
Præstabunt proles quaq; negata mihi.
Proles, quam juvenem charo commendo marito,
Me gratam superis, lector amice, face.*

AD ORGANUM PNEUMATICUM.

Deo opt. max. instauratæ sac. sanc. religionis Auctori,
Bb ij

Joan. Albertus Dux Megapolensis, infigne hoc opus Musicum pietatis ergo posuit.

ANNO M. D. LX.

A D S U G G E S T U M .

Deo opt. max. trino & uni, docendi propagandiq; salutiferi verbi ergo, Canonici hujus Ecclesiæ hoc suggestum suis sumptibus posuerunt.

ANNO M. D. LXX.

D. O. M. S.

Helena Rotromundia, conjugii suæ dulcissima, ad perpetuum integri & sinceri amoris honorem & memoriam, Tilemannus Stella Sigonenfis, maritus infelix mœrensq; pietatis ergo posuit.

Vixit annos 27. m. 7. d. 3. h. 12. obiit anno 1561. 14. Calend. Novemb. hora 5. matutina, mœrore animi consumpta, quod maritum suum charissimum, cum is honesta de causa in Belgium avocatus ibidem diutiùs detineretur, mortuum falso rumore credidisset.

Rex David comitante universo populo Israël, arcam fœderis Domini cum vario organorum genere in pub. omnium ordinum lætitia Hierosol. inferebat. i. Paral. xv.



G U S T R O V I I .

I N C A T H E D R A L I .

DN. Elizabethæ, Sereniss. Daniæ & Norvvegiæ Regum Friderici I. Filia: Christiani III. Sorori: primùm Magni, deinde Ulrici Illustriss. Ducum Megapolitanorum conjugii. Quorum huic peperit Sophiam Friderico II. Regi Septentrionis Max. nuptam. E qua cum nepotes III. & inter eos etiam Christianum IV. Regem electum, & nept. I. V. natas, avia feliciss. cum marito in Dania invisisset: in ipso ad Megapol. suos reditu, dum in Falstria Austro adverso

adverso tenetur: febri correpta, ibidemq; xv. Octobr. ex
suorū oculis, non animo sublata, piē expiravit: & xxiiii.
Novemb. monumento huic exuvias suas, spe lætiff. resur-
rect. intulit. Anno ætat. Lxii. Christi cId Id xxcvi.
Matri patriæ, & consorti optatiff. viduus mœstus P.

A L I U D.

*Primi Danorum Friderici filia regis
E Sophia illustri Pomerana Principe nata,
Christophori Megalepoleos Ducis inclyta conjunx,
Quam pietas, quam pura fides, quam gratia morum
Heroinarum decus effecere, Deiq;
Donis Dorotheam fama super æthera notam,
Huc tulit ossa obiens, animam tu Christe tulisti.
Hac mœsta Elisabeth posuit monumenta sorori.*

Decessit xi. Novemb. Anno Christi

M. D. LXXV.

A L I U D.

Pfal. 116. Preciosa in conspectu Domini mors sanctorū ejus.

Pfal. 116. Caro mea requiescit in spe.

D. O. M. S.

Joachimus v. d. Luhe, Otthonis, Hæreditarii in Puttel-
kovy & Buschemül F. Ulrici, Ducis Megapol. Martiscal.
& Consiliarius, Collegiique Dobbertinensis Præfectus,
obiit anno Christi cId Id xliic. Die ix. Junii, ætatis
Lxiii.

IN ÆDIBUS LUHIANIS,
in fastigio.

JOACHIMUS V. D. LUHE, SIBI

ET

GRATÆ POSTERITATI.

Anno cId Id xxciii.

In foribus atrii.

Exitus ostendit, quò mundi gloria tendit.

Bb iij

Supra januam domus.

Frustra, nisi Dominus.

*In cœnaculo meridionali é regione mensæ.**Si dat oluscula
Mensa minuscula
Pace referta:
Ne pete grandia,
Lautaq; prandia
Literepleta.*

*In camino.**Fide, sed cui vide.*

*Sub pictura Herculis, trahentis colum
Omphales.**Impiger Alcides post tot fera monstra subacta
Pensa trahens, domina fert miser imperium.
Sic ingens non raro animus constansq; laborum
Victor, fœmineis vincitur illecebris.*

*Mit reinem hertzen diene Gott/
Und halt für augen sein gebott:
Mit starckem Glauben auf ihn bau/
Mit gutem Gwissen ihm vertraw.*

*ALEX. MAGN.**Regium est benefacere,**&**Malé audire.*

*So vil du magst/leb still für dich/
Nach hohem stand dich sehne nicht.
Vom höchsten schloss; der donner kumpt/
Herrn gnad selten ein gut end irmt.**Omnibus*

*Omnibus in rebus feliciter omnia cedent,
 Si statues finem principiumq; Deum.
 Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese,
 Spernere se sperni, quatuor ista beant.*

Wenn du fürhast ein wichtig sach/
 So seh dich für vnd thu gemach/
 Mit eil sol man nicht heben an/
 Das man hernach nicht enden kan.

*Qui sapienter agit recte praesentia curat,
 Commendans placida mente futura Deo.
 Nam sua sufficiens afflictio cuiq; diei est,
 Invenietq; suum crastina cura locum.*

IN COENACULO OCCIDENTALI HÆC
 symbola leguntur.

Invidia		Livor
		in
vipera.		vivis.

Sal vitæ		Oculus in		Quæ nocent
Amicitia.		sceptro.		docent.

Ditat servata		Omnia præter
fides.		animam.

Diffamare		Revocare
cave.		grave.


Tecum ha-		Præsentia
bita.		cura.

Disce ferre		Sustine & Abs-
moras.		tine.

Memento diffi-		Ausculda & per-
dere.		pende.

Bb v

Inter spinas calceatus.		In fide & virtute.		Sperne te sperni.
Pietas in fine coronat.		In silentio & spe.		In parvo quies.



ROSTOCHII. IN MARIANO.

CHRISTUS PRO NOBIS MORTUUS RESUR-
rexit: & nos mortui certò resurgemus.

D. Jacobo Bordingo, artis Medicæ Doctore, & Serenissi-
mi Regis Daniæ Archiatro, vera sapientia, & cog-
nitione totius Philosophiæ, & trium linguarum, & veræ
de Christo doctrinæ, & omnium virtutum laudè præstan-
ti: viro clarissimo & optimo: qui in hac quoque Urbe &
Academia, annis septem vivens & docens, omnium bo-
norum & doctorum eximia studia, & honestissimam ac
perpetuam memoriam sibi comparavit: & tandem Haf-
niæ decessit, Anno M. D. L X. die v. Septembris, hora III. L.
vespertina: cum attigisset annum ætatis L. conjunx Fran-
cisca Nigrona & liberi posuerunt.

ARNOLDI BURENII.

Deo trino & uni.

Arnoldo Burenio, viro optimo & doctiss. præclarè de
saniorè philosophia & elegantioribus litteris ante omnes
apud nos merito; primùm animi & ingenii Principis Ma-
gni Episcopi Suerinensis, Ducis Megapol. informatore:
post hujus Academiæ Professori primario: ejusq; conjugi
Annæ Schroderiæ, matronæ opt. & matrifam. diligentiss.
Liberi superstites posuerunt.

Burenus vixit annos xx c i. decessit an. D. M. D. L X V I.
17. Kal. Septemb.

Conjux

Conjux vixit annos LXXVI. decessit an. D. M. D. XXCV.
3. Non. Octob.

Τῆδ' ἐν σοφῶ Βερηνίε κείται δέμας.
Μάκαρ δ' ὁ νῆς ἐν ἔρανοῦ ναίει ἄυχαῖς.
Ἐκ γῆς δ' ὄλοιτ' αὖ ὀυδέπω κείνου κλέεθ'.

ANDREÆ MARTINI PASTORIS.

*Hic scelerum terror, divini buccina verbi,
Martinus jacet Andreas, venerabilis ore
Augusto, prestans animi, zeloq; verendus,
Itala quem juvenem tellus cultissima vidit:
Dania quem magni pendentem oracula Christi
Obstupuit, cum Rege ipso, regumq; ministris.
Post iterum patrii quem templa scholaq; Roseti
Audivere gravem eloquio, vitaq; decenti
Innocuum, nunc ille caeva jacet obrutus urna.
Templa, schola, domuumq; patres, & patria plangat,
Vix habitura viro huic similem, subeuntibus annis.*

BARTHOLEMÆI BATTI ALOSTENSIS
exulis propter Evangelicam confessionem. qui
obiit 1558. 24. Januarii.

*Plurima pertuleram quondam qui nomine Christi
Damna, sub hac recubo Bartholemaus humo.
Sole sub occiduo cunas praebebat Alostum,
Lambit ubi Trevirii fertilis unda solum.
A puero placuere sacri mysteria verbi,
Illustrata tua, magne Lutheri, face.
Hinc ego Pontificum fraudes arteisq; perosus,
Sincera tenui religionis iter.
Quaq; Deum potui, colui pietate, fideq;
Et labor in Christum credere solus erat.
Tota sed in ventris studio qua turba moratur,
Cæperat hinc studiis esse inimica meis:
Insidias struit, & falsò mihi crimina fingit,
Donec in hoc duro carcere clausus eram.
Sicq; tenebroso desedi squalidus antro,
Dum novies Phœbo Cynthia clara fuit.*

At Ganda Proceres, tandem (sit gratia Christo)
Exemptum veteri restituere loco:
Feceruntq; sua civem me protinus urbis,
Cujus ego cultor bis duo lustra fui.
Hostibus indomitis donec gravis ira resurgens,
Et furor & tristes me petiere mina.
Inde meo capiti ferrumq; ignemq; parabant,
Heu quantum vera est in pietate crucis!
Exilio mutare domos patriamq; coactus,
Conjuge cum cara pignoribusq; tori.
Plurima sustinui terraq; mariq; pericla,
Tadia multa via, tadia multa maris.
Donec ad hac tandem deflexi littora cursum,
Qua vera hospitium religionis erant.
Quodq; superfuerat confecto tutius arvo,
In studiis clausi fata suprema meis.
Sic mea me tumulo conjunx, prolesq; novena
Condedit, aeterno mens mea juncta Deo est.

Doctori Matthæo Roselero, hujus Reipub. Syndico, &
 Academiae Professori, excellentis ingenii, doctrine, & elo-
 quentiæ singularis viro, frater Georgius Roselerus p. Obiit
 anno M. D. LXIX. die XXIII. Aprilis, ætatis suæ XLI.

Spargere rosas lachrymis madidas, subsiste viator,
Hic rosa perpetuo digna vigore jacet.
Qua rosa? non Roselerus erat tibi cognitus ille,
Eximius Rosea splendor honosq; scholæ?
Ignotus nūmne ille foret? Rosa candida salve.
Integer & niveus nam Roselerus erat,
Fragrantemq; sui passim spirabat odorem
Floribus ingenii, floribus eloquii.
Hic igitur Roselere cubas, ut amabilis orta
Qua rosa luce fuit, vespere sicca jacet.
Necte puer roseas tumuloq; appone corollas,
Non dubius vitam sic properare tuam.
 Versuum auctor Nathan Chytraeus.

JACENT HIC UNO IN TUMULO DUO FR.
 amitini, Jacob. Meinstorp. & Henning. Wonsflet. No B.
 HOLSATI. quos uno mense Ecthymata in ipso Æt. flo-
 re, ex

re, ex HAC in cælest. scholam transtulere. Tu mœstiff.
parentum CHRISTOPH. Meinstorp. & Waldemari
Wonsfl. postrem. QUOD SIBI ab his sperabant DEBI-
TUM pié solventium luctui condole, dum hæc legis, tuæ
quoque metæ VICINIOR.

OBIERE ILLE XXIIIX. Sept. HIC
XVII. Octob. An. 1588.

MORS MELIOR VITA TURPI.

POST CHORUM.

*Conjugii exemplum sancti Brandanus & Agne,
Corporis exuvias hæc posuere sui.
Quadraginta tuis annos Wismaria Consul
Civibus ut justa præfuit ille fide.*

IN S. PETRI.

Sepultura M. Joachimi Sluteri: qui anno 1523. primus
Evangelium in hac civitate puré prædicare incepit, pro-
pter quod intoxicatus obiit, in die Pentecostes anno 32.

IN D. NICOLAI.

M. Georgio Reichio Saganensi, viro pietate, doctrina,
vitæ sanctimonia, beneficentia, gravitate & zelo præstan-
ti, & in florida senectute fidelissimo hujus Ecclesiæ pa-
stori: ipsiusq; filio Josiæ Reichio S. Theologiæ Licentia-
to, patri doctrina & vitæ integritate non inferiori, & ejus-
dem in hoc templo successor: viris optimis, & cum om-
nium bonorum gemitu extinctis:

Gertrudis von der Beke vidua, marito caris-
simo; mater filio desideratissimo cum
lacrymis, & spe futuræ resurrectionis,
ipsa brevi secutura, P.

Obiit pater anno 1565. 2. Octob. anno æt. 70.

Filius 1568. Cal. Maji, anno ætat. 33.

IN JACOBÆO.

*Maxima nosse mori vitæ est sapientia, vivit.
Qui moritur, si vis vivere, discite mori, &c.*

INSCRIPTIO CAMPANÆ HORO-
logii Jacobæi.

*Indice me quoties fugientes suspicis horas,
Te toties gressu mors propiore premit.*

COLLEGII PHILOSOPHICI SUB
Pallade armata.

Barbaria victrix armataq; Gorgone Pallas.

IN FRONTE ÆDIUM D. FRIDERICI
Heinii LL. Doctoris & Consulis.

CADUCA LINQUE.
MENS DUX ESTO.
COGITA, FACITO.
TE RESPICITO.

IN COENACULO DOMUS EJUSDEM.
QUATUOR ELEMENTA.

IGNIS.

Scintilla é minima en quantus tibi nascitur ignis!

AER.

Aëris ad species animi mutantur & ipsi.

AQUA.

Vilis aqua est. sed quanam illa ratione carebis?

TERRA.

Est eadem, sed non omnis fert omnia tellus.

QUINQUE SENSUS.

VISUS.

Lucem oculis video, & varios discerno colores.

AUDITUS.

Consona me juvat; offendit symphonia discors.

OLFACTUS.

Fragrante oblector, vitioso offendor odore.

GUSTUS.

GUSTUS.

Inspidum & sapidum quid sit me iudice constat.

TACTUS.

Sentio quid calidum aut gelidū, quid molle, quid asprum.

PATIENTIA.

Frangitur aduersis nunquam patientia rebus.

JUSTITIA.

Iustitia sine nil toto sibi constat in orbe.

SAPIENTIA.

Vigila & memento diffidere, hi sunt nervi sapientia.

BONA CONSCIENTIA.

*Hic murus aheneus esto;
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

RES HUMANÆ CADUCÆ.

Ut sunt humana, nil est perpetuum datum.

INSCRIPTIO DOMUS
CLINGIANÆ.

*Fide Deo, diffide tibi, fac propria, castas
Funde preces, paucis utere, magna fuge.
Multa audi, dic pauca, tace abditā, scito minori
Parcere, majori cedere, ferre parem.
Tolle moras, mirare nihil, contemne caduca,
Disce pati, & Christo vivere, disce mori.
Nathan Chytraeus.*

IN ALIA QUADAM DOMO.

DEUS omnia cernit & audit.

Innocuis vincit patientia sola triumphis.

φρόνη ταπεινά.

ἀγέως δίχτυα.

εὐργε παρόντα.

μελέτα αἰώνια.

*Tu rege me, sano da sanam in corpore mentem,
Vivere da recté, da bene Christe mori.*

Nihil est minus ferendum quám rationem ab altero
vitæ & fidei poscere eum, qui suæ non possit reddere.

Tutto quel che luce non e oro.

AUGUSTINUS.

Nimis perversé seipsos amant, qui ideo alios errare vo-
lunt, ut ipsorum errores lateant.

Nulla est justior spretæ veritatis merces, quám menda-
ciis mancipari.

Veritas laborare potest: opprimi non potest.

Felix est, non qui habet quæ cupit: sed qui non cupit,
quæ non habet.

PHILO.

Ἐν Στόροις πόρων ἄπορεῖν ἰδίων θεῶν.

*Causa bona est, bonus est Dominus, bona crux, bona
spes est.*

Et cur non animo me juvet esse bono?

*Wer sich jetzt wil ernehren/
Muß vil thun/vnd wenig zehren.*

Ou bien, ou rien.

*Vnd wern der Neidhart noch so vil/
So gschicht doch was Gott haben wil.*

Τὸ ἐνθάδ' κελνεῖ.

Gedenck des tods vnd jüngsten grichts/
Seh from/traw Gott/sonst hilft dir nichts.

*Rebus in adversis una est medicina, Jehova
Cor patrum, os verax, omnipotensq; manus.*

Bete rein/
Traw Gott allein.
Arbeite fein/
Die sorg laß Gott befohlen sein.

Wer Gott herzlich vertrauen kan/
Der ist ein unverdorben man.

IN DOMUNCULA HORTI CUIUS-
dam suburbani.

Τὰ ἐπίκλητα ἐπίτηλα.

Ut sementem feceris, ita metes.

Chrysoſtomus.

Ἐποδὴμάτων αἰδῶ καὶ ἰμαλίων δύνατον ζῆν. γεωει-
κῆς δὲ χεῖς ἀμήχανον.

*Fœcundante Deo, cujus benedictio ditat,
Floribus & fructu fertilis hortus erit.*

Amplior in celo domus est, & amœnior hortus.

Rebus ne crede caducis.

PLINIUS.

Honestis manibus omnia lætiùs proveniunt: quoniam
& curiosiùs fiunt.

Cc

COLUMELLA.

Procul ab agro suo dissitus, jacturæ suæ vicinus est.

PLINIUS.

Nullum justius genus reditus, quam quod terra, cælum, annus refert.

COLUMELLA.

In villicatione, sicuti in cætera vita, preciosissimum est, intelligere, nescire se quod nesciat, semperq; cupere, quod ignoret addiscere.

PALLADIUS.

Fœcundior est culta exiguitas, q̄ magnitudo neglecta.

Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus.

COLUMELLA.

Omnia quæ feruntur diebus tepidis, melius quam siccis aut frigidis feruntur. nam tepor evocat, frigus includit.

CRESCENTIUS.

Quæcunq; ferenda sunt, cum luna crescit, seminantur. quæ autem secanda, vel legenda, cum minuitur.

MUSÆI CUIUSDAM.

*Hoc ego musæum precibus studiisq; dicatum
Extruxi, ut parvum me quoq; parva decent.
Optime Christe fave studio nostroq; labori,
Me rege prasidio consiliisq; tuis.
Fac nihil hinc mediter, scribam, dicamve, legamve,
Quod non & laudi serviat omne tua.*

ΘΥΜΕΒΛΕΨΟΝΑΝΩ.

*Non hinc certa domus, non propria tecta parantur,
Quid proprium fluxis rebus inesse queat?*

Nepos

*Nuper erat soceri domus hac, mors abstulit illum,
Cumq; hodie mea sit, cras erit alterius.
Sursum igitur mens agra vide magni atria cali,
Hic te certa domus, propria tecta manent.*



WARENI IN ME-
GAPOLI.
IN TEMPLO.

AD SEPULTURAM EPISCOPORUM SUERI-
nensium ex nobili familia Buloviorum.

*Vos qui transitis, memores nostri quoq; sitis.
Quod sumus, hoc eritis, fuimus quadoq; quod estis.*



STARGARDIAE
IN MEGAPOLI.

Magnanimo heroi Ulrico, Henrici filio ex Stargardiae
Ducibus ultimo, Principi bellica laude, & he-
roica virtute clarissimo:

Illustriss. Princeps Ulricus, Dei gratia, Dux Megapol. Prin-
ceps Vandalorum, &c. gratissimam in majores pie-
tatem testatus suam, memoriae posuit.

Anno M. D. XXXIII.

*Hoc tua nobilitas, toties spectataq; virtus
Promeruit, cippus ne rudis ossa tegat.
Dux Ulrice, tibi stirpis data linea summa est,
Te tulit extremum Stargaris alta ducem,
Te genus, & proarvi decorant, te stemmata gentis
Tollunt, tu factis nobile nomen habes,
Vicini sensere virum, sensere cohortes,
Victricesq; tuas extimere manus.*

Cc ij

Nonne hic ad tumulum vagina conditus, olim
 Principis Ulrici fatifer ensis erat?
 Hoc fido accinctus gladio, saepe hostica castra, &
 Clara Duces fudit Marchia terra tuos.
 Hic Solyma, Magno comitatus principe, templa
 Vidit, tum Sinai saxa stupenda jugi.
 At postquam varios hausit sub Marte labores,
 Urget grandævum serior atq; dies;
 Error inest rebus, sic non sibi mixta, veneni,
 Ignarus sceleris, pocula forte bibit.
 Sed cum postremum sentiret adesse laborem;
 Hos, calum intuitus, fudit ab ore sonos:
 O quantum belli! quantus cum sanguine sudor!
 Quatuor obq; asses, vile toralq; DEUS.
 Verum ille ut merito posthac in honore jaceret,
 Principis Ulrici hoc nobile fecit opus.
 Vivit perpetuo, mortisq; est nescia virtus,
 Si bene promeritos pramia digna manent.

D. S. O. B. I. N. A. R. C. E.

STARGARDIA.

ANNO M. D. LXXI.



STRALSUNDII.

IN MARIANO.

MEMORIAE

M. Samuelis Calandri, hujus Eccles. past. non lingua
 tantum & veste, sed animo & vita verè Theologi:
 paternoq; erga auditores, & sincero erga omnes affectus
 & sapientiæ eloquentiæque Christianæ zelo præstantiss.
 qui ut antea, ita in peste quoque aliis inserviens, seipsum
 consumens, cum omnium bonorum mœrore & deside-
 rio, ad meliora est sublatus. In spem certissimæ resurrecti-
 onis, uxor cariss. marito, liberi opt. parenti cum lacrymis
 uber-

uberrimis P.P. Obiit ann. cIo Io xxc. mens. Septemb.
die xx. inter xi. & xii. pomerid. Ætatis xl. Offic. xvii.

Inveni portum, dum tu jactaris in alto.

Eventu ut simili fac tua navis eat.

IBIDEM.

D. O. M. S.

Samuele Caloandro viro opt. & doctiss. hujus Ecclesiæ
Pastore, & R. V. Joanne Sumingo ejusdem collega, procu-
rantibus Simone Tœlemanno, & Michaelē Stanekio, hu-
jus reipub. Senatoribus benemerentib. & Matthæo Der-
hegero ac Joachimo Lemmichio civib. integerr. organum
hoc pneumaticū, venti & tactus ministerio harmoniam
edens suavissimam, in laudem sacrosanctæ & individuæ
Trinitatis concinnatum & extructum est. Anno, &c.

*Tu, si muta sonant summum instrumenta Tonantem,
Sis memor officii virvida lingua tui.*



WOLGASTI.

EPITAPHIUM PRINCIPIS POME-
ranie D. Philippi, auctore Stigelio.

ET tua te lugens Pomerania mœsta requirit,
Virtutis studio tuta Philippe tua.

*Justitiam pietate regens, æquissima Princeps
Jura dabas, patria dignus amore tua.*

*Vera tibi cura divini gloria verbi
In Christo, splendet, qua patefacta, fuit.*

*Veraq; justifica fidei documenta forvebas,
Consona quam menti lingua professa fuit.*

*Puraq; ut assiduis studiis doctrina vigeret,
Fovisti auxilio templa Scholasq; tuo.*

*Artibus ingenuis, & doctis præmia linguis,
Dulcibus & Musis otia grata dabas.*

*Et fora judicii ornabas, legibus urbes,
Ut premeret justus facta nefanda metus.*

Cc ij

*Pacis amans placida, bellorum damna caruebas,
 Ornabas patria commoda justa tua.
 Non impune tamen tibi quisquam bella tulisset,
 Martia nec deerant viribus arma tuis.
 Sed tibi digna magis res visa est parta tueri,
 Quam temere externa querere fortis opes.
 Lege tua assidui coluerunt arva coloni,
 Ut pars neglecti nulla vacaret agri.
 Hinc quoque justa tuos auxerunt commoda census,
 Nullaque privatas vis tenuavit opes.
 Ergo patrem Arctoa te gens desiderat ora,
 Quae ditant Heneti Baltica stagna freti.
 Cumque Heneta luget sidus te gente Caycus,
 Et cum Cassubio fortis ad arma Rugus.
 Tu tamen ardenti Christum pietate professus
 In caelo aeterna gaudia pacis agis.
 Da Deus exemplum ut soboles generosa paternum
 Impleat, & verbi nos rege luce tui.*

Decessit Wolgasti anno natalis Christi
 M. D. LIX. die Februarii XIII. aeta-
 tis suae XLV. Joannes-Fridericus,
 Bogislaus, Ernestus-Ludovicus,
 Barnimus, Casimirus, fratres, Po-
 meraniae Duces, filii, patri dilectissimi.
 F. C.



STETINI,

ANno 1551. die Junii XXIIX. mortuus est Petrus Egge-
 stedius, qui cum Margarita Pielsia in conjugio vixit
 annos XLIIIX. Quorum ita fuit adaucta proles, ut dicta
 jam Margarita mater fuerit liberorum viventium XII. a-
 via nepotum & neptium LXXIIIX. proavia pronepotum
 & proneptium XLI. atque ita oculis suis viderit ex se & li-
 beris ac nepotibus suis natos CXXXI. Obiit tandem vi-
 dua anno aetatis suae LXXXVII.

D. O.

D. O. M. S.

Hic situs est Bernardus Metellus, procul hinc ad lacum Brigantinum honesto loco natus, inq; Academia Tubingensi & alibi ita excultus, ut non solum Philosophiæ & Medicinæ Doctoris titulum, verum etiã pauló post apud opt. & illustriss. Pomeraniæ principem Philippum Archiatri officium consequeretur. Quo ille totos xxxii. annos apud defuncti quoq; Ducis filios, inprimisque Illustriss. Dn. Joan. Fridericum laudabiliter fungens, in Deum religiosè pius, in arte sua (quod alexipharmacum novo modo ab ipso confectum satis testatur) industrius & felix, deq; amicis plus sæpe quàm de seipso sollicitus, & ne in otio quidem fuit otiosus. vir aliàs in convictu jucundus, in negotio justus, in ædificiis magnificus, nec non veritatis amantiss. & simulationis dissimulationisque osoracerrimus, rarumq; adeo antiquæ virtutis & fidei Helveticæ

EXEMPLUM

Aliis magis quàm sibi vixit annos lxx. piè Stetini obiit xxix. Augusti, Anno MDLXXI. Memoriae mariti cariss. cum quo xxxvii. annos vixit sine querela, Susanna N. Augustana, vidua inter exteros mœstiss. multis cum lacrymis P.



FRANCOFURTI AD VIADRU M.


IN TEMPLO PAROCHIALI.

Hieronymus Schurffius J. U. D. decessit anno 1554. cum vixisset annos 73. & aliquot menses, & interpretatus esset leges annos 50.

IN FRONTISPICIO DOMUS G. SABINI.

*Parva quidem domus, sed in hac habitante Sabino
Calliope sedem gaudet habere suam.*

Cc iij



DANTISCI.
IN MARIANO.

Quem virtus, quem dia gemit Medicina, potentes
 Quem coluere urbes, quem coluero duces.
 Felix ingenio, felicior arte Jacobus
 Schadius hac tumulum nactus in ade cubat.
 Charo mœsta viro conjunx, natusq; parenti
 Hac monumenta dedit, plus dare non potuit.

Obiit VII. Junii anno Christi
 MDLXIII.

ALIUD.

Cui natura potens, & alma virtus
 Certatim sua contulere dona,
 Vir prestans pietate & eruditus,
 Et Doctor Medica peritus artis,
 Civis justus, obediens, fidelis,
 Praclarum patria decus, domiq;
 Et prudens pater, & bonus maritus,
 In Christo moriens pie, hoc propinquo
 Dormit Bartholemaus in sepulchro
 Wagnerus: caro ubi quiescit in spe:
 Sed mens sollicitis levata curis
 Christi amplexibus haeret in beatis,
 Et propter merita, & pios labores
 In terris retinet perenne nomen.

Obiit anno 1571. 15. Maji.

ALIUD.

Hospes in hanc veni primùm Carnicius urbem,
 Hospes & hic casus mox feror in tumulum.
 Sava mihi eripuit cognati dextera vitam.
 Vita sed est Christus non moritura mihi.

EPITA

EPITAPHIUM NOBILIS ET HEROICI
bellatoris ac Capitanei Roberti Gurlæ
Scoti, &c.

*Gurlaja de gente sat us, roburq; Scotorum
Robertus jacet hinc non procul in tumulo.
Victorem toties quem fugit Iberus in armis
Belgarum Albanus dum populatur agros.
Quiq; ad Mundensem castris portum exiit hostes,
Et Gedani afflictis demisit in urbe metum.
Victor ibi occubuit lethali ex vulnere. at illum
Eripuit let ho nescia fama mori.*

A L I U D.

*Robur militia, decus Scotorum,
Robertus jacet hac in æde Gurla.
Qui victor toties fugans Iberos,
Belgas afferuit potens, & urbem
Tutatus fuit hanc ab hoste, cujus
Castra invasit, eum exiitq; castris
Ad portum Gedani: hostibusq; fufis
Victor occubuit: sed alma virtus
Pro pulchris meritis, manuq; prompta
Hic illi statuit perenne nomen.*

A L I U D.

Vexillo serico inscriptum, & suspensum in æde
Mariana Dantisci.

*Corpore non magno, sed robore magnus & armis
Robertus Scotica gloria gentis erat,
Clarus apud Belgas, hostes cum fudit Iberos,
Atq; hostem castris exiit ad Gedanum.*

Venit Dantiscum xv. Junii, anno 1577.

Expugnatis hostium castris victor
cecidit III. Julii, anno eodem.

Postridie pompa funebri, vix antea hic visa, in celeberrimo civitatis Dantiscanae templo, ad D. virg. matr. honorifice sepultus est.

IN ÆDE SANCTÆ TRINITATIS.

Qui Musas coluit teneris Henricus ab annis
 Mollerus, jacet hac contumulatus humo.
 Multorum mores hominum lustravit & urbes
 Vir pius, & rerum cognitione gravis.
 Magni illum reges, magni foverunt patroni,
 Quorum illustravit versibus acta suis.
 Gymnasiq; hujus Rector, bis quatuor annis,
 Ingenio asseruit consilioq; decus.
 Phœbus eum viridi subreptum luxit in arvo,
 Donaq; Pierides hac posuere viro.

Obiit anno Domini 1567. 18. Fe-
 bruarii. ætatis suæ 39.

ALIUD.

Qui sua non procul hinc posuit Laurentius ossa
 Fabricius, verbi praco fidelis erat.
 Simplice quod docuit bis senos mente per annos,
 Quodq; alibi doctis versibus expoliit.
 Ergo viro conjunx, & charo nata parenti,
 Hac monumenta sacro constituere loco.

IN VESTIBULO SCHOLÆ
Marianæ.

Hac domus est Christo, studiisq; dicata juventa,
 Nemo sacrum violet dedecorêve locum.

Anno Domini 1343. feria 4. post Lætare positus est
 primus lapis muri civitatis Dantisci. Et postea proxima
 feria 6. positus est primus lapis Ecclesiæ beatæ vir-
 ginis Mariæ. cujus dedicatio celebrabitur
 proxima Dominica post festum
 natiuitatis Mariæ.

REGIO.